

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (45)

4.13.2. De primis problematis deque conaminibus ea solvendi (2)


Conditio sub aspectū duplici solvenda erat. Nam unā ex parte praedium erat administrandum atque oeconomice tractandum, alterā ex parte problemata curanda erant, quae cohaerebant cum pecuniā emptionis acquirendā et quae praeterea ex dubiis contractūs emptionis atque ex summa pretii emptionis exorta erant. Haec omnia tamen artē coniuncta erant et invicem effectūs exseruerunt.

Quod Ottiliani consiliarium saltuarium Dimitz acciverant et idem testimonium amplum atque realitati conveniens de praedio silvestri Tragoessiano exaraverat, denuo specialiter manifestum fiebat, quam magna discrepantia inter valorem atque pretium, inter promissiones atque realitatem exstaret. Sequela ex his cognoscentiis erat in eo, ut Ottiliani contra contractum processū iuridico agere constituerent, ut meliores condiciones acciperent atque hunc in modum catastrophem imminentem minuerent. In hōc progrediendi modo praeparando, in argumentis strategematisque exarandis, in inquisitionibus consultationibusque consiliarius saltuarius Dimitz propter scientiam atque experientias suas utilissimus erat atque idem praeterea intentissime his in rebus operabatur. Ottiliani insuper multa consilia practica ei debebant, quae ad praedium silvestre oeconomice tractandum spectabant.

Iam ante initium sollemnitatum iubilaei abbatialis aliquid in administratione praedii silvestris mutatum iri praeparabatur. Nam Archiabbati Norberto interea manifestum erat P.rem Ludgerum Breindl esse problema, et quod attinebat ad ipsam administrationem praedii et - quod praesertim erat grave - quod attinebat ad modum, quo erga baronem eiusque repraesentantes se gerebat. P. Ludgerus videlicet arbitratū suo consultationes cum negotiatoribus intermediis sic dictis inierat, qui scilicet emolumentum atque lucrum ex malā condicione Tragoessianā sibi exspectaverunt, atque et talibus hominibus et baroni Leuzendorf eiusque cooperatoribus sive epistulariter sive in colloquiis res internas de consiliis scopisque Ottilianis communicavit.¹ Tali agendi

1 Cfr ex. gr. epistula Norberti Weber die 23 m. Ian. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 21 m. Maii a. 1928 ad Ludgerum Breindl missa (ASO, A.4.2); etiam adnotatio Thomae Spreiter: Tagebuch, 14.2.1928 (ASO, A.1.8.1), qui hōc in conexū scripsit: «*Talis modus agendi est sive insanus sive poenā dignus.*» - Textus originaliter Theodiscus.

modo sine dubio statui et Ottiliensi et «Culturalis Societatis» nocebatur.² Itaque nihil aliud relinquebatur ac P.rem Ludgerum ex praedio Tragoessiano revocare.



P. Notkerus Mannhart.

Eā de causā Archiabbas Norbertus in fine mensis Ianuarii a. 1928¹ ad P.rem Notkerum Mannhart se convertit, qui illo tempore in monasterio Uznachensi commorabatur, et eum rogavit, ut ad praedium Tragoessianum se conferret atque ibidem administrationem susciperet.³ P. Notkerus persona apta esse videbatur, ut arbitrio aliorum non valente rem curaret, cum iam satis mature contra emptionem se vertisset.⁴ Nihilominus Archiabbas P.ri Notkero affirmavit magnam spem esse, qua Tragoessianus contractus emptionis rescindi posset.⁵

P. Notkerus Mannhart igitur ad praedium Tragoessianum se contulit secum afferens epistulam, quam Archiabbas primariusque praeses «Culturalis Societatis Tragoessianae» ad P.rem Ludgerum Breindl direxerat et quam ipse P. Notkerus ei traderet. Hac epistolā Archiabbas Norbertus P.rem Ludgerum a munere secundarii praesidis «Culturalis Societatis» solvit atque praescipit ei, ut ex «Culturali Societate» exiret.⁶ Verbis vere distinctis ei explicuit «*condiciones Tragoessianas hunc in modum evasisse, ut impos-*

2 Agendi modus P.ris Ludgeri revera tantummodo explicari potest, cum putandum sit eum factis condicionibus immotus omnimodo inceptum suum tenere neque necessariis conaminibus rei salvandae impediri voluit. Praeterea videtur gratiam factionis adversae (quam adversam non percepit) blanditiis assequi voluisse. Verisimiliter non est existimandum eum consulto scopos nocivos habuisse, tamen eius modus agendi talem effectum habuit.

3 Cfr epistula Norberti Weber die 23 m. Ian. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

4 Cfr cap. 4.13.1.

5 Cfr epistula Norberti Weber die 23 Ian. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). - Etiam in epistolā suā die 21 m. Mart. a. 1928 ad Fidelem von Sotzingen directā (ASA, APr 422) Archiabbas scripsit sibi magnam spem esse, ut «*res Tragoessiana bonum eventum inveniret*». - Textus originaliter Theodiscus.

6 Cfr epistula Norberti Weber die 7 m. Febr. a. 1928 ad Ludgerum Breindl data (ASO, A.4.2).

*sibile factum esset, ut ibidem maneres».*⁷ Etiam ut administrator responsalis praedii Tragoessiani P.ri Ludgero similiter recedendum esse, quod munus ab illo temporis momento P. Notkerus susciperet. Ipsi P.ri Ludgero tantummodo tam diu in praedio versari licere, quam P. Notkerus eo indigeret, ut in condiciones negotii introduceretur. Vere magni momenti sunt sententiae sequentes, quibus pars quaedam problematum interea exortorum demonstratur.⁸ *«Quam diu adhuc in praedio Tragoessiano versaris, de ipsā re non iam quicquam habebis agendum. Causā monasterii mei, quod est in summo periculo, vi sacra oboedientiae tibi interdicare debeo, ne cum domino barone vel cum officialibus praedii Tragoessiani vel iurisconsulto domini baronis vel negotiatoribus intermediis, quicumque sint, aliquo modo sive scripto sive loquela-ri consultationes ineas quoad «Cultrualem Societatem» vel quoad praedium Tragoessianum.»*

Quamquam mandata Archiabbatis erant clarissima, mutatio in administratione non ita facile transigebatur, cum P. Ludgerus resistantiam quandam exhiberet.⁹ Unā ex parte epistolam Norberti Weber statim legere recusavit atque acta demum die insequenti tradidit,¹⁰ praeterea sub aspectū externo secundarius praeses «Culturalis Societatis» manere voluit, denique appellationem apud Archiabbatem postulavit. Generaliter autem nullum mendum commissum agnovit atque se persecutionem iniustam pati putavit.¹¹ Denique P.ri

7 Epistula Norberti Weber die 7 m. Febr. a. 1928 ad Ludgerum Breindl directa (ASO, A.4.2). - Textus originaliter Theodiscus.

8 Epistula Norberti Weber die 7 m. Febr. a. 1928 ad Ludgerum Breindl data (ASO, A.4.2). - In eādem epistolā paulo post leguntur etiam haec: *«Similiter eodem modo expressis verbis recurrens ad votum sacrae oboedientiae tibi interdicare debeo, ne, postquam a praedio Tragoessiano abiisti, cum aliqua illarum personarum sive modo scripto sive modo loquela-ri, sive directe sive hominibus intermediis quoad res Tragoessianas agas, nisi unaquaque vice specialem permissionem a me acceperis. Pro te tota res sit omnino finita.»* - Textus originaliter Latini.

9 Fuse de hac re rettulit Notkerus Mannhart in epistolā suā die 11 m. Febr. a. 1928 ad Norbertum Weber missā (ASO, A.4.2).

10 P. Notkerus suspicatus erat P.rem Ludgerum iam ante adventum successoris sui de munere amisso scivisse et itaque mutationes in actis facere potuisse, id est imprimis quod attinebat ad commercium suum epistulare cum barone Leuzendorf, eius cooperatibus atque negotiatoribus intermediis, quod videlicet partim delevit.

11 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Febr. a. 1928 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2). - Illa «appellatio» a P.re Ludgero postulata instituebatur in Collegio Monacensi ut colloquium cum Archiabbate, sed sub desiderii aspectū P.ris Ludgeri sine effectū. Postea plures epistulas ad Archiabbatem Norbertum misit, quae erant op-

Ludgeri nihil aliud relinquebatur ac obtemperare.¹²

Prima actio P.ri Notkeri in novo munere suo administratoris exanclando erat in eo, quod acta exstantia inspexit, ordinavit, numeris signavit et denique per P.rem Ludgerum ad primum praesidem «Culturalis Societatis», id est ad Archiabbatem Norbertum, misit,¹³ quae deinde in consultationibus reconciliationis vel in processu quodam instituendo necessaria erant.

Sed hic solum erat primus gressus in sequentibus laboribus plurimis, quos P.ri Notkero atque confratribus in possessione Tragoessiana versantibus exhibendi erant. Iam inde ex mense Septembri a. 1927ⁱ ¹⁴ Fr. Franciscus


probrorum plenae, imprimis erga P.rem Aloisium Seibert. Cfr ex. gr. epistula Aloisii Seibert die 2 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart scripta (ASO, A.4.2). - P. Ludgerus videtur cognitione prorsus carens fuisse, quod ad menda sua atque ad modum se gerendi attinebat. Episcopus Thomas Spreiter, qui in monasterio Suarzacensi P.ri Ludgero breviter occurrit, in diario suo die 23 m. Febr. a. 1928 (ASO, A.1.8.1) adnotavit: «*Vespere post recreationem etiam P. Ludgerus, qui de tragoediā suā Tragoessianā ante me se purgare vult. Aperte sententiam meam ei profero, id quod nullum effectum in eum exserit.*» - Textus originaliter Theodiscus.

Num P. Ludgerus decursu temporis illuc pervenerit, ut modum suum se gerendi consideraret atque retractaret - illo tempore, ut ex epistula P.ri Notkeri die 11 m. Febr. a. 1928 data apparet, ei «*obstinatio, vana de se persuasio, improbitas*» opprobrio datae sunt -, fortasse addubitari potest. Fr. Tobias Moos OSB, qui multos annos in administratione monasterii Ottiliensis cooperatus est et cui eā de causā cum P.re Ludgero, qui tum temporis «Opus caritatis» curavit, agendum erat, narrat unum alterumve de modo, quo P. Ludgerus in rebus pecuniariis egit.


12 P. Ludgerus die 14 m. Febr. a. 1928 praedium Tragoessianum reliquit et primo Monacum ad domum Ottilianam sic dictam vectus est, Deinde per aliquod spatium temporis in monasterio Suarzacensi commorabatur. Hanc commationem P. Notkerus erga Archiabbatem proposuerat, cum ibidem «*plures labores quam Patres*» essent et P. Ludgerus hunc in modum esset in loco quodam, ubi negotiatores intermedii eum pertinere non valerent.

13 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 11 m. Febr. a. 1928 ad praesidem primum «Culturalis Societatis» data (ASO, A.4.2); imprimis autem epistulae Notkeri Mannhart die 13 m. Febr. a. 1928 ad praesidem primum et die 14 m. Febr. a. 1928 ad Norbertum Weber directae (ASO, A.4.2). - P. Notkerus acta numeranda curaverat, quia praecavere voluit, ne quaedam acta singula amitterentur, quae solum apochā datā atque numero indicato alicui traderentur. Numeratio stilo rubro facta etiam hodiernis temporibus nonnullis in actis in archivio Ottiliensi asservatis adhuc cernitur. Originaliter erant 452 numeri (cfr epistula Notkeri Mannhart diei 13 m. Febr. a. 1928 (ASO, A.4.2)). Proh dolor, quamquam P. Notkerus bene praeliberaverat, decursu temporis tamen quaedam acta maioris momenti amissa sunt, uti iam ex brevi indice in epistula diei 13 m. Febr. a. 1928 exhibito apparet.

14 Cfr: Chron. Ottil., m. Iun. ad m. Dec. 1927.




Fr. Franciscus Imhof.



Fr. Radebodus Kortler.


Imhof atque Fr. Radebodus Kortler in praedio silvestri cooperabantur. Praesertim Fr. Franciscus Imhof conspectum distinctum sobriumque condicionum habuisse videtur, quo ad iudicium rei peritum ductus est. P. Notkerus Mannhart hanc rem variis in conexibus iterum iterumque commemoravit.

Ut officium suum administratoris praedii silvestris explere posset, P. Notkerus scilicet in vicum Tragoessianum transmigravit atque habitationem in «do-



Domūs Tragoessianae ichnographia pedeplanorum.

mo Societatis» sic dictā sumspit. Haec domus, cum fuisset pristina «sedes dominorum», satis ampla erat eademque interea in tabulato subtegulaneo



Domūs Tragoessianae ichnographia tabulati subtegulanei.

etiam parvam cappellam habuit.¹⁵ P. Notkerus iam deliberavit in conclavibus subterranei aliquando fortasse grapheum cancellarium institui posse. Praeterea satis celeriter ei in mentem vēnit domum foundationis Tragoessianae Sancto Iosepho patrono dedicandam esse, quā re efficere voluit, ut auctoritas «Societatis Culturalis» atque Benedictinorum illo in loco melioraretur.¹⁶ Tamen haec cogitatio tunc ad effectum adducta non est.¹⁷

Ea, quae P. Notkerus, cum administrationem Tragoessianam susci- peret,

15 Notkerus Mannhart in epistulā die 12 m. Febr. a. 1928 ad confratres Uznachenses directā (ASO, A.4.2) condiciones descripsit. Itaque pedeplanis quattuor magna conclavia atque culina exstabant, in tabulato subtegulaneo erat cappella, duo conclavia Fratribus destinata et oecus quidam nondum instructus, in subterraneo denique inveniebantur altera tria conclavia magna.

16 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Mart. a. 1928 ad Norbertum Weber missa (ASO, A.4.2), quā hanc rogationem protulit. Sictū digna quōque hic est sententia P.ri Notkeri, quā populus opinionem haberet monasterium paedio silvestri emendo tantummodo pecuniam suam servare voluisse, «*aliter non tam care et sub talibus condicionibus emisset*». - Textus originaliter Theodiscus.

17 Cfr epistula Norberti Weber die 24 m. Mat a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2), quā hōc rogatum ad tempus recusavit, quia talis dedicatio non esset conveniens, cum spes esset fore, ut praedium iterum abici posset.

invēnit, sub omnibus aspectibus erant difficillima vereque dubia. Haec perceptio imprimis spectabat ad condicionem pecuniariam, in quam P. Notkerus statim incidit. Cum enim illi pauci monachi, qui in praedio Tragoessiano commorabantur, omnes labores necessarios, qui cum silvā oeconomice tractandā cohaerebant, ipsi facere non potuerunt, dependebant de operariis silvestribus munere excultis. Illi scilicet ab pristino possessore praedii recepti erant. Tamen problema non ex operariis exortum est, sed ex difficultate, quā pecunia ad salarium eorum solvendum acquireretur.¹⁸ Iam medio mense Februario a. 1928ⁱ P. Notkerus hunc aspectum quaestionis pecuniariae indicavit,¹⁹ qui tamen iterum iterumque apparuit. Praeterea sumptūs administrationis assequi generaliter difficillimum erat.



Vicus Tragöß-Oberort annis vicesimis saeculi vicesimi.

Ut conspectus distinctus condicionum acquireretur, nonnulla in rebus dirigendis atque in laboribus disponendis mutanda erant. Omnia, quae fiebant, processerunt consultationibus cum consiliario saltuario Dimitz habitis et saepe eo consilia specialia proferente. Praesertim P. Notkerus ligna collecta ex omnibus sectionibus saltuariis amovenda curavit, ut tractari atque vendi

18 Ut Notkerus Mannhart in epistolā die 29 m. Febr. a. 1928 ad primum praesidem «Culturalis Societatis» directā (ASO, A.4.2) explicuit, condicio difficilior reddita est, quia propter situm praedii in propinquitate quaestuosae industriae efflorescentis in vallibus quōque salaria erant maiora quam aliis in locis comparandis.

19 Cfr. epistula Notkeri Mannhart die 11 m. Febr. a. 1928 ad primum praesidem «Culturalis Societatis» missa (ASO, A.4.2).

posset.²⁰ Praeterea in futurum inventarium lignorum erat redigendum in singulis partibus saltuariis, ex quibus praedium silvestre constitit. Hic modus scilicet erat opportunus, ut facilius sciretur, quales arbores et quibus in locis eadem caedi possent et ut hunc in modum labores melius distribui possent. Porro P. Notkerus consiliario saltuario Dimitz suadente modum introduxit, quo omnes informationes ad partes saltuarias pertinentes a singulis saltuariis responsalibus requirendae essent neque a magistro saltuario Etzelt.²¹ Fr. Franciscus praeterea circuitiones cottidianas per praedium silvestre facere coeperat, ut operarii se revera observari perciperent.²² Hōc modō adhibitō efficacitas laborandi meliorata erat. Similiter suasionem consilarii saltuarii Dimitz secutus P. Notkerus in officio saltuario septimanatim rationem arcae nummariae sibi dandam curavit eandemque recognovit.²³

Interim iterum iterumque proposita allata sunt, quibus sive lucrum maius efficeretur²⁴ sive labores in praedio silvestri meliorarentur atque hunc in mo-

20 *Cfr* ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 24 m. Mart. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz data (ASO, A.4.2). - In lignis emendis adhuc officina Hörsch cooperabatur, quamquam pecunia ab ipsā credita, de qua in intio cogitabatur, in irritum ceciderat. Interim quaedam minores dissensiones atque opiniones erroneae cum hac officinā exortae esse videntur, quae spectabant ad condiciones serratrinarum inspiciendas diiudicandasque. - *Cfr* commercium epistulare inter Aloisium Seibert et Notkerum Mannhart die 3 m. Mart. a. 1928 atque die 5 m. Mart. a. 1928 habitum (ASO, A.4.2), quo P. Aloisius Seibert expressis verbis enuntiavit desideria honestae officinae Hörsch esse respicienda, quia «*nostra auctoritas moralis in re Tragoessianā omni casū iam gravia detrimenta accepit*». (Textus originaliter Theodiscus).

21 *Cfr* epistula consilarii saltuarii Dimitz die 20 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2), quā idem rettulit magistrum saltuarium Etzelt de hac ratione questum esse.

22 Notkerus Mannhart in epistulā die 29 m. Mart. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz missā F.rem Franciscum ob hanc causam expressis verbis laudavit.

23 *Cfr* epistula consilarii saltuarii Dmitz die 29 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Apr. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz directa (ASO, A.4.2).

24 Iam die 11 m. Oct. a. 1927 P. Prior Martinus Malter in epistulā ad Gallum Steiger directā (ASO Z.3.11) scripsit paulo post emptionem consociationem quandam ad Ottilianos se vertisse indicans in territorio praedii silvestris exstare marmor facile tractandum. Hōc deinde etiam P. Ludgerus affirmaverat, qui insuper genera marmoris descripsit. P. Aloisius Seibert hōc nuntiō adductus ad rei peritos se converterat, ut certior fieret, num industria quaestuosa marmoris esset lucrosa. Sed illi periti dissuaserunt, ut tale inceptum susciperetur. Tamen P. Notkerus in fine mensis Martii a. 1928 existimavit illud inceptum marmoris nihilominus lucrosum esse posse, et aliquando postea, cum ageretur de

dum redditus augerentur. Commemoranda hōc in conexū est exempli gratiā quaestio energiāe producendae. Institutio quaestuosa quaedam sicut erat praedium silvestre, cui erant varia officia operandi, indigebat magnā copiā electricitatis, ut efficaciter operari posset. Itaque propositum alicuius officinae phalangerum turbinalium, quo eādem in praedio Tragoessiano electrificinae aquariam errigere voluit, satis opportunum esse videbatur.²⁵ P. Notkerus hōc temporis momento aliqua nova incepta suscipere quidem noluit, sed propositum accepit, quo haec officina consilia non obligatoria exararet. Huic modo progrediendi erat emolumentum, quod, si quando condicio ad rem instituendam praeberetur, satis celeriter labores incohari possent. Tota haec res denique tamen in iritum cecidit.

Multae ergo res practicae erant deliberandae, disponendae atque faciendae (vel etiam reprobandae). Tamen omnibus in rebus pecuniaria condicio mala et difficultates oeconomiae florecentis instituendae, quae hunc in modum iterum iterumque exoriebantur, valebant, cum - ut ita dicam - «ex manu in os» vivendum esset. Condicio ad tempus quadamtenus facilitabatur, quia P.ri Aloisio Seibert compluries contigit, ut Vindobonae prorogarentur impensae translationis, id est pecuniam in bonis immobilibus emendis ad aerarium publicum solvendam, quae summa cohaerebat cum pretio emptionis.²⁶

Aliud problema, quod in administratione Tragoessianā ab Ottilianis susceptā

possessione praedii definitive retinendā, quaestionem denuo suscipere voluit (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 31 m. Mart. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2)). Etiam P.ri Aloisii Seibert rem curare iterum interesse videbatur, cum occasione datā peritos consociationis lapicidarum eā de causā ad praedium Tragoessianum mittere vellet (*cfr* epistula Aloisii Seibert die 4 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2)). Denique Ottiliani tamen hōc propositum ad effectum adducere conati non sunt, id quod versimiliter bonum erat.

- 25 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 24 m. Mart. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz directa (ASO, A.4.2). - Quaestio electricitatis postea denuo exorta est, cum nonnulli vici illius regionis electrificinam erigere in animo haberent. P. Notkerus putavit necessarium esse, ut Ottiliani sive «Tragoessiani» huic incepto participarent, cum unā ex parte condiciones essent bonae, alterā ex parte cum praedium silvestre maximam partem electricitatis sumeret. *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 24 m. Maii a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz data (ASO, A.4.2).
- 26 *Cfr* ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 31 m. Mart. a. 1928 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 2 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 4 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 5 m. Apr. a. 1928 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2).

apparuit, positum erat in magistro saltuario Etselz, qui iam sub Rudolfo von Leuzendorf silvas praedii Tragoessiani administraverat et qui hōc in munere suscipiendus fuerat. Ille magister saltuarius Etselz videlicet erga possessores novos minus obligatus se sēnsit quam erga pristinum dominum suum.²⁷ Talis se gerendi modus non ita honestus consiliis et scopis novorum possessorum partim nocuit.²⁸ Sic Rudolfo von Leuzendorf omnia tradidit, quae de Ottilianorum modo progrediendi comperire valuit, et praeterea cum hominibus exteris de rebus Tragoessianis consuluit. Insuper mandata P.ri Notkeri non exsequi vel irritum facere conatus est, ad interrogationes, quae ei verisimiliter iniucundae erant, per septimanas non respondit.²⁹ His omnibus in rebus videtur revera capi non potuisse. Sed consiliarius saltuarius Dimitz iure meritoque existimavit actiones magistri saltuarii Etselz acriter observandas esse atque ei semper aperte monstrandum esse, quis esset dominus in domo.³⁰ Tamen P.ri Notkero modus specialis erat, quo cum magistro saltuario Etselz egit, cum numquam ei diffidentiam suam plenam monstraret, ne occasionem ei praeberet, qua ad posteriores consultationes officiales opprobriaque se praepararet.³¹

Iuxta illos labores cottidianos curasque insimul etiam res ad contractum emptionis spectandas tractandae erant. Praedio silvestri assumpto et imprimis testimonio consiliarii saltuarii Dimitz satis celeriter manifestabatur emptionis pretium pro praedio silvestri datum quoad valorem verum nimis magnum

27 De magistro saltuario Etselz eiusque modo se gerendi in commercio epistulari iterum iterumque inveniuntur adnotationes, explicationes atque consultationes, quomodo progrediendum sit. *Cfr* ex. gr. epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 12 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 24 m. Mart. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz missa (ASO, A.4.2); epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 29 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Apr. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz directa (ASO, A.4.2).

28 Magister saltuarius Etselz etiam is fuerat, qui - verisimiliter barone Leuzendorf instigante - magistro saltuario Hümmer ad testimonium scribendum multa indicia non correcta tradiderat.

29 *Cfr* epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 29 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

30 In epistolā suā die 29 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) consiliarius saltuarius Dimitz praeterea protulit se nulli officiali pristino Rudolphi von Leuzendorf confidere.

31 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Apr. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz data (ASO, A.4.2).

fuisse, nonnulla indicia venditoris - videlicet consulto - fuisse falsa et nonnullas clausulas contractūs, velut reservationem iuris venandi pro barone Leuzendorf, redditum iam non sufficientem novorum possessorum minui. Itaque Ottiliani sive «Culturalis Societas» id intendebant illum contractum recognosci, sive reconciliatione sive, si eadem fieri non posset, processū iuridico. In huiusmodi praeparationes P. Notkerus Mannhart, cum esset responsalis in ipso loco, scilicet valde iniunctus erat et etiam P. Aloisius Seibert ut cellerarius Ottiliensis ex. gr. consultationibus cum argentariis magistratibusque habendis atque epistulari commercio amplo hac re occupatus erat. Tamen onus principale horum laborum umeris consilarii saltuarii Dimitz iniunctum erat, qui strategemata exaravit, mandata de illis rebus protulit, quae singillatim erant faciendae, omnia acta necessaria componenda curavit, collegit, probavit diiudicavitque et praeterea erat in promptu, ut ad omnes quaestiones responderet.

Iam medio mense Februario a. 1928ⁱ, itaque brevi post adventum suum in praedium Tragoessianum, P. Notkerus condiciones, quae attinebant ad contractum emptionis attinebant, aliquatenus existimare valuit, qua in re iudicio F.ris Francisci Imhof nisus est, cuius conspectui atque experientiis confisus est. Illo temporis momento itaque putavit summam pecuniariam trium millionum scellinorum³² esse maximam, quae tamquam pretium emptionis accipi posset, insimul cogitans ad hanc summam pecuniariam praeterea impensas translationis atque sumptūs oeconomiae procurandae accedere.³³ Maiore autem pretio - haec etiam erat opinio F.ris Francisci - praedium silvestre existere non valere.

Brevi temporis spatio post P. Notkerus actis magis diligentiusque inspectis sententiam suam mutavit, quae ad finem attinebat, qui consultationibus reconciliationis assequi deberet.³⁴ Nam ad conclusionem pervenerat contractum emptionis irritum declarandum esse et deinde nullum novum contractum ineundum esse, sed praedium silvestre reddendum esse. P.ris Notkeri

32 3.000.000 sc. = 1.770.000 m.

33 Cfr. epistula Notkeri Mannhart die 11 m. Febr. a. 1928 ad primum praesidem «Culturalis Societatis» directa (ASO, A.4.2). - Hanc existimationem P. Notkerus in consultatione quoque cum consiliario saltuario Dimitz atque P.re Aloisio Seibert protulerat.

34 Cfr. epistula Notkeri Mannhart die 29 m. Febr. a. 1928 ad primum praesidem «Culturalis Societatis» directa (ASO, A.4.2). Illum finem ultimum, id est praedium iterum reddere, P. Notkerus denuo protulit in epistolā suā die 14 m. Mart. a. 1928 ad Norbertum Weber data (ASO, A.4.2).

sententia distincta erat in eo, ut praesenti statu praedii ne opes quidem capitales oeconomiae procurandae erogari possent. Praedio autem meliorato opes capitales oeconomiae procurandae erogari certe posse, tamen nullo modo usuras pretii emptionis.³⁵ Porro omnino recte vidit praedium tantummodo ut merum donum et tunc quidem solum, cum esset melioratum atque ab aere alieno liberum, redditum quandam praebiturum esse.³⁶

Primus ergo gressus, quo condicio quoad contractum melioraretur, erat conamen consulationum reconciliationis ineundarum. Rudolfus von Leuzendorf atque ipsius iurisconsultus Dr Hoffer alicui conventui assensi sunt,³⁷ ex quā re consiliarius saltuarius Dimitz conclusit eos principaliter reconciliationi non fore adversos, cum putaret «Culturalem Societatem» hac in re meliorem statum habere. Tamen baro Leuzendorf denique propositum reconciliationis repudiavit.³⁸

Itaque proximus gressus faciendus et processus iuridicus praeparandus erat, qui baroni inferreretur. Etiam si repulsa in reconciliatione instituendā accepta erat, P. Notkerus medio mense Martio a. 1928ⁱ adhuc bono animo erat, cum ad Archiabbatem scriberet haec:³⁹ «*De exitū prospero tragoediae nostrae nobis non licet esse prorsus securi [...], sed ex mero aspectū iuridico tranquilliores fieri nobis licet.*» Eius cogitationes positivae fundamentum

35 Agitur de usuris, quae spectabant ad summas partiales solvendas in contractu emptionis praevisas. Sermo autem non fiebat de usuris pro pecunia credita solvendis neque de hac pecuniā reddendā.

36 P. Notkerus aestimationem suam variis argumentis probavit praeter alia afferens accepta secundo dimidio anno 1928^o exspectanda (quae deinde pro annis insequentibus computari potuerunt), generalem condicionem oeconomiae saltuariarum agriculturaeque, quibus a peritis computatus redditus erat unius vel duarum semis centesimarum. Praeterea explicuit silvas publicas Bavaricas anno anteriore solum tres centesimas redditus accipere valuisse, etiam si condiciones rerum transportandarum meliores essent quam in praedio Tra-goessiano et insuper agi de oeconomis ab aere alieno liberis (quod in praedio Tra-goessiano sic se non habuit).

37 Provisus erat hic conventus Salisburgae habendus primo die 29 m. Febr. a. 1928 (cfr epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 25 m. Febr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)). Sed revera idem denique die 7 sive 8 m. Mart. a. 1928 institutus esse videtur, uti apparet ex epistulā Notkeri Mannhart die 10 m. Mart. a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz directā (ASO, A.4.2).

38 Cfr epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 20 m. Mart. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

39 Epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Mart. a. 1928 ad Norbertum Weber missa. - Sententia originaliter Theodisca.

habebant in eo, quod adimpletionem contractūs non esse possibilem firmissime ostendi posset.⁴⁰ Illo casū, quo lis obtineretur, P. Notkerus tres possibilitates Ottilianis positivas vidit, nempe praedium silvestre «Culturali Societati» modo concursūs⁴¹ attribui vel eam idem pretio ab ipsā praebito accipere vel



Vicus Tragöß-Oberort cum monte, qui «Mesnerin» appellatur, annis vicesimis saeculi vicesimi receptus.

possibilitatem, quā alius emptor insereretur.⁴² Etiam consiliarius saltuarius Dimitz illo tempore, quo processus iuridicus praeparabatur, fiduciae plenus erat, «*cum erga baronem Leuzendorf firmissimam positionem haberemus*».⁴³ Ut vero actio firma institui posset, praeter acta pro consultationibus reconciliationis iam collecta alia quōque documenta erant componenda.⁴⁴ Hōc in

40 Scitū digna est alia quōque adnotatio P. ris Notkeri in eādem epistula diei 14 m. Mart. a. 1928 facta. Ibīdem enim scripsit de morali positione opportunā, in quā Ottiliani essent propter mores bonos laesos, quos adversarius inducendo in errores deceptionibusque commisisset. Tamen - sic P. Notkerus - hōc argumentum etiam contra «Culturalem Societatem» adhiberi posse dicendo fuisse «*temeritatem, mancum iudicium circum-spectum, unilateralitatem informationum, obstinatum nullamque condicionem ponens desiderium rei - uno verbo - inintellegibilem agendi modum emptoris*». - Textus originaliter Theodiscus.

41 Hic agitur de concursū baronis.

42 Sed emptorem invenire decursū temporis iterum iterumque magnas difficultates praebuit.

43 Epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 24 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

44 Hōc in conexū praeterea memorandum est Ottilianos tunc pro certo comperire conatos esse, num emptionis contractūs paragraphus de baronis iure venandi iuridice esset validus. Nam hōc contractūs statutum erat magnum obstaculum in praedio silvestri

conexū consiliario saltuario Dimitz rogante praeter alia statūs chartae singularum regionum praedii silvestris delineandae sive copiandae erant.⁴⁵



*Charta specialis, quā in regione vici Tragöß-Oberort condiciones silvae indicantur.
Coloribus in charta originali inveniendis aetates arborum ostenduntur.*

Talibus specialibus chartis geographicis singillatim descriptis, quibus diversi statūs generaue arborum adnotabantur, clare manifestari potuit, quantum arborum ad usum aptae omnimodo exstaret. Tales autem chartae, sed etiam scientia, quid eis exprimeretur, iam ante emptionem praedii silvestris necessariae fuissent.

fortasse iterum vendendo, - Cfr epistula Aloisii Seibert die 22 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Apr. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2).

- 45 Cfr ex. gr. epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 12 m. Maii a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Maii a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz missa (ASO, A.4.2); epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 16 m. Maii a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 22 m. Maii a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 24 m. Maii a. 1928 ad consiliarium saltuarium Dimitz missa (ASO, A.4.2).

Porro alius gressus maioris momenti susceptus est. Cum tunc Ottiliani essent in actione iuridicā praeparandā, consiliarius saltuarius Dimitz existimavit necessarium esse, ut grapheum cancellarium, quo «Culturalis Societas Tragoessiana» curabatur, mutandum esset.⁴⁶ Nam grapheum D.ris Hoffer atque D.ris Schiem operabatur quōque in favorem baronis Leuzendorf. Revera omnino non intellegibile est, cur Ottiliani ab iisdem iurisconsultis causam suam suscipiendam curaverint ac venditor, et eo minus intellegibile est, cur non multo prius de mutatione quadam deliberaverint, cum nullo modo concordia cum barone exstaret. Quod attinet ad grapheum cancellarium D.ris Hoffer atque D.ris Schiem, eorum modus agendi etiam aliquatenus dubius erat, cum condicionibus valentibus suā sponte a «Culturali Societate» seiungi debuissent.⁴⁷ Itaque P. Notkerus Mannhart in oppido Leobīna⁴⁸ alium iurisconsultum inveniendum curavit,⁴⁹ quem denique D.rem Bernhart repperit et cui causas Tragoessianas promovendas tradidit.⁵⁰

Ad hōc punctum progressus in praedio Tragoessiano atque circa īdem pervenerant, cum in Archiabbatiā Ottiliense sextum Capitulum generale adstabat.

4.13.3. De Capitulo generali anni 1928

Cum propter argenteum iubilaeum abbatiale plerique Praelati atque capitulares Congregationis in Abbatīā Ottiliensi commorarentur, mense Febuario a. 1928ⁱ ex causis practicis cogitatio exorta est iam eodem anno Capitulum

46 *Cfr* epistula consiliarii saltuarii Dimitz die 10 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

47 Cum de grapheo cancellario mutando deliberaretur, ex improvviso Dr Hoffer vitā functus est, quā de causā in P.re Notkero dubia surrexerunt, num haec mutatio esset adhuc necessaria. P. Aloisius Seibert erga P.rem Notkerum deinde denuo affirmavit necessitatem summam huius modi procedendi. *Cfr* epistula Aloisii Seibert die 22 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data.

48 Leobīna: *Leoben*. - *Cfr* Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Romae 1977, p. 178.

49 Consiliarius saltuarius Dimitz Leobīnae D.rem Plaß adeundum suaserat. *Cfr* eiusdem epistula die 10 m. Apr. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

50 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Apr. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2). - In ipso oppido Leobīna P.ri Notkero suasum est, ut loco D.ris Plaß D.rem Bernhart adiret. In illā epistulā P. Notker praeterea adnotavit haec: «*Praestantes circuli catholici Leobinae observaverunt atque generaliter observant res nostras attentione atque sollicitudine.*» - Sententia originaliter Theodisca.

generale instans instituere. Praevisus quidem fuerat annus 1930^{us},⁵¹ sed tunc post spatium temporis relative breve multi participes iterum iter longum sumptuosumque suscipere debuissent.

Respicientes condicionem Superiorum regionum missionariarum, qui comorationem suam in Germaniā Europāque non nimis diu extendere poterunt, responsales putaverunt Capitulum generale iam mense Iunio anni 1928ⁱ transigendum esse. Cum tamen secundum Constitutiones invitandi tempus definitum septem mensium valeret,⁵² Archiabbas Norbertus Weber Romam se convertit, ut dispensationem huius regulae impetraret.⁵³ Paene eodem tempore Archiabbas epistulam circularem ad omnes Congregationis monachos votorum sollemnium directam misit, ut Capitulum generale prae-dispositum annuntiaret.⁵⁴ Sicuti esse solebat, praeterea rogavit, ut Patres proposita petitionesque mitterent, quae deinde in Capitulo generali tractarentur.

Effectus huius rogationis hac vice tamen satis inexpectatus erat. Nam praeter alia proposita normalia etiam scriptum a P.re Iosepho Damm exaratum est allatum, cui titulus «*Desideria atque consilia pro Capitulo generali*» erat.⁵⁵ Haec superscriptio tamen multo innocentius sonabat, quam argumenta scripti erant. Agebatur enim unā ex parte de accusationibus atque opprobria vehementia contra Abbatem Swickersperchiensem Coelestinum Maier, alterā ex parte de postulatis generalibus, quae partim cum structurā Congregationis, cum pecuniā missioni praebeandā et cum spiritū missionariō in Congregatione deficiente, ut putavit, cohaerebant.

De quanam re exacte agebatur? Secundum sententiam P.ris Iosephi regiones

51 Anno 1930^o illi septem anni paene transacti erant, quibus Constitutiones ad comprobandum a Sancta Sede approbatae erant, ita ut de mutationibus Constitutionum fortasse faciendis consultationes iniri potuissent. - *Cfr* de hac re cap. 4.9.6.

52 *Cfr* Constitutiones 1924, Statuta, Tit. II, nr. 331 (ASO, K.1.1). Capitulum generale septimō quōque annō convocandum esse praescribitur in Const. 1924, Statuta, Tit. II, nr. 320 (ASO, K.1.1) (ex certis causis Capitulum generale etiam tribus annis dilatari potuit). Cum inde ex ultimo Capitulo generali anni 1921ⁱ septem anni iam transacti erant, Capitulo generali anno 1928^o instituendo ex causis iuridicis nihil obstitit.

53 *Cfr* Norberti Weber rogatio dispensationis die 3 m. Febr. a. 1928 data (ASO, K.3.1).

54 *Cfr* epistula circularis Norberti Weber die 6 m. Febr. a. 1928 data (ASO, K.3.1). Hōc locō etiam rogationem Roman missam indicavit, ad quam illo temporis momento scilicet responsum nondum acceperat.

55 Joseph Damm: Wünsche und Anregungen für das Generalkapitel (6.3.1928) (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

missionariae propter deficientiam pecuniae cooperatorumque maximo in periculo erant. Cum de hac condicione loqueretur, referebat imprimis ad regionem missionariam, in quā ipse operabatur, nempe ad Praefecturam Lindiensem.⁵⁶ Generaliter hac in re - etiam quod alias regiones missionarias attinebat - P. Iosephus certe non falso dixit. Culpam autem huius condicionis P. Iosephus domibus matricibus in Germaniā sitis attribuit, in quibus parum pietatis atque impetus animi inveniretur,⁵⁷ amor missionis atque studium laborum missionariorum deficerent,⁵⁸ ibidem parum ad futuros sacerdotes alliciendos fieret⁵⁹ atque in summā «*animus ad res externas spectans et spiritus materialismo addictus*» vigeret.⁶⁰ Abbantias in Germaniā sitas quoad condiciones pecuniarias bene constitutas esse, tamen sub hōc aspectū nihil pro missione facere et itaque «*missiones corpus alienum in propriā Congrega-*

56 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 4 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)): «*Nobis neque pecunia est neque pecunia credita nobis praebetur. Habitationes plerisque in stationibus non sunt sufficientes, pleraeque ecclesiae prorsus indignae, salaria magistris saepe ex mensibus debemus. Stationes Peramiho atque Lituhi saepe per quadrantem anni nullum schellinum in aerario habent.*» - Textus originaliter Theodiscus.

57 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 3 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

58 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

59 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 3, p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

60 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 3 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). Textus originaliter Theodiscus. - P. Iosephus etiam se convertit contra «*incepta omnino materialia*», ad quae, cum magna deficientia sacerdotum vigeret, nullus Pater adhiberi liceret (p. 2). Hōc locō etiam nonnulla huiusmodi incepta enumeravit, velut ex. gr. Argentiniam, «*cuius victima erat P. Paulus*» [hic agitur de P.re Paulo Sauter, cui tamen non ipsa fundatio Argentiniana erat perniciosa, sed proprium inceptum in regione Gran Chaco incohatum (cfr cap. 4.10.2.1.2.)]; insulas Philippinas, «*quae fundatio P.ri Eleutherio vitam abstulit*» [P. Eleutherius Lechner, primus Superior domūs in insulis Philippinis sitae, mense Novembri a. 1924 ex improvise vitā functus erat (cfr cap. 4.10.2.3). Tamen regio quōque missionaria in Africā Orientali sita ab initio multos mortuos inter missionarios poposcerat (cfr ex. gr. cap. 4.6.2.)]; inceptum P.ri Cassiani, «*quo idem vocationem suam amisit*» [P. Cassianus Niebauer in Americam Septentrionalem missus erat, ut pro missione Coreana pecuniam colligeret. P. Cassianus postea Congregationem reliquerat]; inceptum «*P.ri Ludgeri, quod, ut praevideri potest, in irritum cadet atque nobis multum nocebit*» [quā perceptione P. Iosephus recte dixit]. Haec enumeratio summum culmen habuit in sententiā hac: «*Sicuti experientia monstrat, exsecratio in haec incepta pure materialia imposita est.*»

tionem» esse videri.⁶¹

Omnes has res negativas P. Iosephus Damm deinde speciatim Abbatiae Swickersperchiensi eiusque Abbati Coelestino Maier attribuit⁶² et opprobria vehementissima contra eundem protulit.⁶³ Erat autem quadamtenus accusatio plenaria, quia omnibus in partibus ei modum se gerendi vitiosum opprobrio dedit. Postquam officia praecipua Abbatum enumeravit, nempe bonum spiritum familiae Congregationisque servare, indigentias missionarias excitatione eruditioneque vocationum curare atque missiones pro viribus sustentare, P. Iosephus affirmavit Abbatem Coelestinum ex multis annis contra haec omnia puncta peccare.⁶⁴ Singillatim crimini ei dedit eum multam pecuniam sibimet ipsi atque Abbatiae suae extendendae erogare, sed auxilium pro missione dandum recusare.⁶⁵ Porro spiritum familiae ei prorsus deesse, cum «*familiae suae corporaliter atque spiritualiter alimenta subduceret*», id est cibi non sufficientes essent, alumni neglegerentur, «*conferentiae essent rarae atque inanes*».⁶⁶ Abbas ipse unāquāque septimanā esse in itinere atque praeterea corpus suum bene curare.⁶⁷ Similiter Abbati Coelestino nullum spiritum

61 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 4 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). Secundum P.rem Iosephum sunt «*sensūs dolorosi, cum in domibus matricibus inopia nostra pecuniaria omnino non curetur*». - Textūs originaliter Theodisci.

62 Huius scripti decem paginarum pluribus quam quinque paginis incumbitur in illas res, quae Abbati Coelestino opprobrio dabantur.

63 In scriptum P.ri Iosephi Damm etiam incumbit Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Winzer 1999, pp. 231 sqq., qui tamen nomen auctoris non indicat. Sed in conexū, quem describit, ei solum agitur de ipsis opprobriis contra Abbatem Coelestinum exhibitis.

64 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Imprimis commemorantur exstructio alicuius stratae, emptio molinae «Danubia» appellatae, emptio chrēmatographorum sive titulorum pecuniariorum* etc. (p. 4, p. 7).

*) chrēmatógraphum, -ī n., titulus (-ī m.) pecuniarius: *Wertpapier*. - Cfr Coelestis EICHENSEER: Pars Lexicalis. Saarbrücken ²1982, p. 227; Albert SLEUMER: Deutsch-Kirchenlateinisches Lexikon. Bonn ³1962, p. 200; Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saarbrücken ³1991, p. 617.

65 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 4 sq. (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

66 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

67 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)): «*Pinguedo eius non ex aere venit*.»

Congregationis esse,⁶⁸ cum subsidia pecuniaria, quae haberet, nullo modo pro missione exhiberet.⁶⁹ Conclusio ex his omnibus condicionibus P.ri Ioespho erat in eo, ut esset officium Capituli generalis, quo muneris abdicationem Abbatis Coelestini assequeretur. Nam - ut scripsit P. Iosephus ad praecipua officia Abbatum iam commemorata referens - «*cui haec perceptio idealis non est, qui contra puncta exhibita peccat, is munere suo excelso indignus est atque amovendus est*».⁷⁰

Höc postulatam strictum de resignatione Abbatis Coelestini erat P.ri Iosephi Damm causa, quā aliud punctum, quod cum hac re cohaerebat, protulit. Nam existimavit in salutem Congregationis non esse bonum Abbates ad tempus vitae eligi.⁷¹ Solum sub tali condicione aptissimi viri haberi posse, cum tantummodo ad certum spatium temporis eligerentur. Argumentum, quo Abba-

68 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)): «*Ex annis dicunt Abbatem Coelestinum vias suas proprias ire. Impulsus Patris Archiabbe in visitationibus dati ipsi erant ut aer. Missiones eius omnino non intererant, de amore confratrum nihil dici potest, iidem pro ipso non existunt, egestate laborare possunt, hac re non commovetur. E contra missionibus subtili scientiā rei abutitur.*» - Textus originaliter Theodiscus.

69 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) in textū suo ter exemplum affert, quo Praefectus Apostolicus Gallus Steiger Abbatem Coelestinum de auxilio rogavisset, sed ab ipso solum tres marcas accepisset «*explicatione simulatā hominis vere avari se plura dare non valere*» (p. 5) et «*affirmatione turpiter mendaci se plura dare non posse*» (S. 7). - Sententiae originaliter Theodiscae.

70 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 6 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Haec postulatio bis iteratur. Sic p. 6 leguntur haec: «*Reverentia Abbati Coelestino neque in Conventū suo neque in Congregatione nostrā praestatur, id quod ipse expertus sum, cum unusquisque Pater cum contemptione de ipso loquitur, populus quōque Bavariae Inferioris, imprimis clerus, nullam reverentiam erga eum sentiunt et eum increpant*» et «*qui tali contemptione in proprio Conventū, in Congregatione, in clero, in populo percipitur, diutius Abbas esse non iam potest*». (Textus originaliter Theodiscus). Porro scriptum est (p. 7) a Capitulo generali Abbatem «*modo certo admonendum esse, ut a munere se abdicaret*», cum aliquis, qui spiritum Congregationis non habet, non iam Abbas esse posset.

71 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 8 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)): «*Pro Congregatione nostra, cui est munus magnum mundumque complectens, nobis necessarii sunt viri extraordinarie apti, qui sunt liberi ab amore sui, ambitione atque proprietatibus specialibus. Nobis non licet pati homines imbecillos, qui hodie sic, cras iterum aliter cogitant atque agunt, qui delicias suas atque sua consilia suo modo servientia sequuntur atque officia sua praecipua postponunt.*» - Textus originaliter Theodiscus.

tibus ad tempus electis traditio obstaret, valere non posse.⁷² Ut spiritus Congregationis melioraretur, itaque viros aptissimos duodecimō quōque annō eligendos esse. Sed praeterea condicionem subiugendam esse, quā Capitulum generale eos commoveret, ut iam antea a munere suo abdicarent, «*si non convenirent*».⁷³

Totum scriptum culmen denique habuit in postulatis sequentibus:⁷⁴ 1. omnes Superiores Congregationis Capitulo generali se subicere deberent;⁷⁵ 2. Capitulum generale ampliandum erat, cum ex unōquōque Conventū duo Patres ex eōdem constituti in Capitulo generali sedem et votum decretivum haberent;⁷⁶ 3. sextō quōque annō omnibus in Abbatiis a Congregatione de Propaganda Fide visitatio exhibenda erat;⁷⁷ 4. pecuniaria administratio centralis introducenda erat;⁷⁸ 5. fieret administratio distributioque centralis cooperato- rum; 6. nemini liceret eligi Abbas, qui non quinque annos in regione quadam

72 Hōc in conexū Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 9 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) scripsit haec: «*scilicet Abbas Primas talia habere non vult, tamen idem nobis non est alicuius momenti neque licet esse: nam condiciones nostras non intellegit et in circulis notis percipitur dominandi cupidus atque retro versus. Eius cupiditati dominandi scilicet hoc adversum est et unusquisque Abbas, qui dominandi cupidus est, dominatum suum mavult quam salutem Congregationis, quae est causa profundissima, cur traditio tantopere praedicetur.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Sed hunc in modum P. Iosephus revera omnibus Praelatis Congregationis supposuit eis esse gerendi modum dominandi cupidum, cum aliquo modo traditionem quandam instituere atque observare voluerunt. (Exempli gratiā episcopus Thomas Spreiter in commercio epistulari suo saepius admonuit in Congregatione adhuc parum traditionis exortum esse.)

73 Hic scilicet quaestio ponitur, quid exacte hōc significet et quae criteria «non convenientiae» valerent.

74 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 10 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

75 Hoc verisimiliter significavit Capitulum generale fore circulum centrale supremumque et singulis Superioribus (quicumque erant) non iam esse auctoritatem propriam. - Sed in Constitutionibus a. 1924 (Const. 1924, Stat., Tit. II, nr 282 a (ASO, K.1.1)) Capitulum generale iam ut circulus ducens Congregationis percipiebatur, tamen potestate singulorum Praelatorum in munere suo non tactā.

76 Hōc postulato thema deputatorum iterum assumitur, quod iam annis 1920° et 1921° tractatum erat. - *Cfr* cap. 4.9.2.1, cap. 4.9.6.

77 Visitatio a Congregatione de Propaganda Fide exhibenda videbatur P.ri Iosepho necessaria, cum visitationes a propriis Abbatibus factae «*tantummodo irriderentur*».

78 P. Iosephus hac in re cogitavit de coetū, ad quem pertinerent Patres ex unāquāque Abbatia atque ex unāquāque regione missionaria exoriundi et quo res pecunariae totius Congregationis observarentur.

missionariā practice operatus erat;⁷⁹ 7. porro etiam omnes Priores, Rectores professoresque complures annos in missione versari deberent;⁸⁰ 8. in cooperatōribus distribuendis respiciendum erat, ubi essent plerique Christiani, id est pastoratio maxime necessaria esset.⁸¹

Et in brevi epistolā suā additicia et in ipso textū P. Iosephus Damm minatus est se copiam scripti sui Romam missurum esse, «*nisi omnia punctum ad punctum respicerentur*».⁸² Haec ab initio sonum satis vehementem habent et tota res sic paene exactio esse videtur. Sed quomodocumque res se habuit, illud scriptum officialiter ad Capitulum generale directum aliquo modo tractandum erat, nihil rettulit, quibus verbis prolatum esset. Agebatur enim de amplis gravibusque accusationibus in unum ex Abbatibus directis.⁸³

79 Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 7 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) etiam postulavit, ut Abbas Coelestinus post resignationem suam «*longum iter missionarium*» faceret et ipse novam fundationem susciperet, ut intellexeret, «*quam graviter contra missionem peccavisset*».

80 Argumentum erat in eo, quod aliter «*proletariatus unilateraliter eruditorum*» exoriretur, «*qui nimium superbiunt et de realitate asperā vitae missionariae omnino nihil sciunt*». - Sententia originaliter Theodisca.

81 Hac in re P. Iosephus deliberare non videtur in ipsis regionibus, in quibus nondum nimis multi homines ad Christianitatem conversi sunt, etiam multos cooperatores ad euangelium propagandum necessarios esse.

82 Cfr Joseph Damm: Wünsche ... (6.3.1928), p. 7 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Hōc locō compluries expressis verbis refert ad resignationem Abbatis Coelestini.

83 Praeterea hic adnotandum est monasterium, in quo P. Iosephus Damm vota sua protulit, fuisse monasterium Ottiliense. Verisimiliter experientia propria directaque in monasterio Swikkersperchiensi ei non erat. Usque in annum 1919^{um} multos annos in regione missionariā Africae Orientalis cooperatus est, anno 1919^o propter eventūs primi belli mundani in Germaniam redire coactus erat, sed inde ex mense Augusto a. 1927ⁱ iterum in Africā Orientali versabatur. Scientiam suam de Abbate Coelestino atque de monasterio Swikkersperchiensi verisimiliter ab alio (sive aliis) habuit. Abbas Placidus Vogel in epistolā die 27 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) suspicatus est illas accusationes vehementes revera a P.re Theobaldo Hartmann Swikkersperchiensi provenisse, qui - ut sciebatur - «*odium infernale*» erga Abbatem Coelestinum sentiret. P. Iosephus omnia, quae ei narrata erant, in scriptum suum accusatorium assumpsisse videtur, fortasse illae incriminationes in «*terram frugiferam*» inciderunt, quia eas cum malā condicione pecuniariā in missione vigente bene coniungere potuit.

P. Theobaldus Hartmann (natus anno 1888^o) vota sua anno 1923^o in Abbatia Swikkersperchiensi protulerat, anno 1926^o sacerdotio auctus erat atque mense Aprili a. 1927ⁱ in regionem missionariam missus erat (cfr Necrologium 2015, nr 0531, p. 59). In epistolā commemoratā diei 27ⁱ m. Apr. a. 1928^o Abbas Placidus Vogel praeterea scripsit se

Itaque Archiabbas Norbertus ad reliquos Praelatos - praeter Abbatem Coelestinum - illud scriptum accusatorium misit, ut eos de re tractandā atque de modo procedendi consuleret. Responsa exhibita sunt velut «*territus sum*» et «*hac re abyssus monstatur*»⁸⁴ usque ad locutionem «*est res vere pessima*».⁸⁵ Tamen Abbas Placidus Vogel existimavit rem sobrie atque sine excitatione esse tractandam, capitularibus argumenta ibi prolata esse exhibenda atque eorum rationi esse relinquendum, ut ipsi iudicarent. Sed etiam proposita utilia protulit, quomodo de hac re in antecessum et in ipso Capitulo generali esset agendum.⁸⁶ Ut videtur, illa proposita cum deliberationibus Archiabbatis Norberti Weber congruebant, quia decursū rei sic actum est.

Primo Archiabbas Norbertus epistulariter Abbatem Coelestinum solum summatim certiore fecit accusationem ipsius in Capitulo generali tractandam esse allatam, de qua per occasionem ei aliquid dicendum esset, sed de ipsis argumentis nondum quicquam exactius scripsit.⁸⁷ Ad hanc epistulam Abbas Coelestinus adhuc satis tranquille respondit, saltem extrinsecus.

Abbatem Coelestinum ante vota sollemnia P.ris Theobaldi iam monuisse, ut illum monachum dimitteret, et postea quōque eum urgender rogavisse, ne illum Patrem «*infelicem*» in missionem mitteret, quia conventio exstaret, quā numquam monachus quidam emitteretur, qui «*domi non bene se gessisset*».

- 84 Epistula Bonifatii Sauer die 26 m. Apr. a. 1928 ex urbe Roma ad Norbertum Weber directa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Sed illud verbum, quod est «abyssus», ad plures, referri potest, et quod attinet ad Abbatem Coelestinum et ad P.rem Iosephum.
- 85 Epistula Placidi Vogel die 27 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber data (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Ab episcopo Thoma Spreiter pro dolor non exstat scriptus commentarius longior, cum idē illo temporis momento in Archiabbatia Ottiliensi versatus sit et opinionem suam Archiabbati certe in colloquio communicaverit. In diario suo, 2.6.1928 (ASO, A.1.8.1) Thomas Spreiter breviter adnotat se copiam illius scripti P.ris Iosephi accepisse, et rem diiudicat hunc in modum: «*Nonnullis in rebus recte dicit, sed formā adhibitā omnia perdit.*» (Sententia originaliter Theodisca). Similia iam dixerat Abbas Placidus Vogel in epistulā suā die 27 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).
- 86 Cfr epistula Placidi Vogel die 30 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber missa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Abbas Placidus imprimis intendit, ut accusationes iam ante Capitulum generale investigarentur, ut probaretur, num quoad argumenta essent recta, et ut in illis punctis, quae recta esse inveniebantur, melioratio ab Abbate Coestino postularetur. Omnino recte asseveravit Abbas Placidus non esse iustum, iam antequam accusationem investigatae sunt, resignationem Abbatis Coelestini postulare. Hoc tunc fieri posse, si in illis punctis fortasse monendis nulla melioratio perciperetur.
- 87 Cfr epistula Norberti Weber die 29 m. Apr. a. 1928 ad Coelestinum Maier directa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

Tamen opinionem suam protulit, si illa accusatio a toto Conventū suo esset prolata, tantummodo resignationem suam responsum unicum possibile fore.⁸⁸ Deinde Archiabbas ei scriptum accusatorium misit, tamen non originale, sed quasdam partes inde depromptas et illas partim ad verbum, partim breviter astrictas.⁸⁹ Propter formam opprobriorum scilicet non erat opportunum ei, ad quem éadem spectabant, verba originalia transferre et praeterea ei non dicebatur, quis scriptum accusatorium misisset.

Interea autem aliud scriptum querimoniarum allatum est, cuius argumenta in Capitulo generali essent disputanda. Ibidem praeter alia agebatur de molina Danubia sic dicta, quam Abbas Coelestinus pro monasterio Swickersperchiensi emerat, ut eidem satis magnam copiam electricitatis suppeditaret.⁹⁰



Molina Danubia sic dicta in fine saeculi undevicesimi recepta.

Revera haec molina pluribus gressibus empta est, cum, postquam mense Aprili a. 1920^o illa officina in societatem anonymam transformata est, Abbas Coelestinus partem quandam āctiarum emit, mense Maio a. 1927^o alteram

88 Cfr epistula Coelestini Maier Kal. Maii a. 1928 ad Norbertum Weber missa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Eius autem conclusio est haec: «*Abbas, cui non confiditur, est res inepta.*» (Sententia originaliter Theodisca).

89 Cfr epistula Norberti Weber die 3 m. Maii a. 1928 ad Coelestinum Maier data (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

90 De molina Danubia et de variis problematis ex emptione exortis cfr vere fuse Hartmut MADL (1999), pp. 207 sqq.; breviter haec res etiam commemorant Matthäus KROISS: Lebensbilder aus Schweiklberg. In: Leuchter 3 (1990), p. 205; Martin FREUNDORFER: Geschichte der Benediktinerabtei Schweiklberg. In: Christian SCHÜTZ / Martin FREUNDORFER (edd.): O Lux Beata Trinitas. Passau 2005, p. 38; Hartmut MADL: Das Leben des Schweiklberger Klostergründers Abt Coelestin Maier OSB (1871-1935) im Spiegel der Korrespondenz mit Bischof Thomas Spreiter OSB (1865-1944), Inkamana. In: Christian SCHÜTZ / Martin FREUNDORFER (edd.) (2005), pp. 148 f.

partem quandam acquisivit, ita ut monasterium deinde maioritatem āctiarum possideret. Tota autem res cum compluribus problematis coniuncta erat, quae indignationem populi ibi habitantis, consilii operarum atque episcopi excitaverunt.⁹¹

Alterā vero epistolā querimoniarum ad Capitulum generale directā agebatur de modo, quo illa res de molina intra Conventum esset transacta.⁹² Nam mense Martio a. 1920ⁱ Conventum Swickersperchiense emptioni molinae generaliter assensum esse, tamen summam pecuniariam, quae propter hanc transactionem contrahenda esset, non fuisse indicatam.⁹³ Ex hōc Conventūs decreto Abbatem Coelestinum conclusisse sibi esse agendi potentiam omnibus in gressibus sequentibus, qui ad emptionem molinae spectabant, neque eum ulterius Conventum suum consuluisse.⁹⁴ Alia opprobria in secundā epistolā querimoniarum erant magnam dissensionem inter Abbatem Coelesti-

91 Praeter alia agebatur de officina claudenda, de operariis dimissis etc. - *Cfr* Hartmut MADL (1999), pp. 218 sqq. singillatim explicat, qualia opprobria, quae Abbati Coelestini hōc in conexū facta sunt, reprobare possint.

92 *Cfr* epistula Norberti Weber die 3 m. Maii a. 1928 ad Coelestinum Maier missa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Etiam Joseph Damm: Wünsche ..., p. 4, p. 5., p. 7 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) in opprobriis suis proferendis compluries molinam Danubiam commemoravit.

Scitū dignum est Abbatem Coelestinum, cum primo de scripto accusatorio P. ris Iosephi Damm aliquid comperit, generaliter nullius culpaē sibi consciū fuisse, sed ipsum cogitavisse rem verisimiliter cum molinā Danubiā cohaerere. *Cfr* epistula Coelestini Maier Kal. Maii a. 1928 ad Norbertum Weber directa (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

93 Iam antequam Archiabbas Norbertus in epistolā suā circulari rogavit, ut porposita Capitulo generali exhiberentur, et antequam illae officiales epistolae querimoniarum allatae sunt, iam scivit difficultates internas in monasterio Swickersperchiensi exstare. In epistolā suā die 24 m. Ian. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 422) in hanc rem incubuit commemorans Conventum in molinā emendā non satis participare potuisse atque etiam munus cellerarii vacare. Haec Patrem quendam Swickersperchiensem colloquio coram habito questum esse.

94 Secundum Constitutiones 1924, Cap. III, Decl. 1, nr 9 h, i, k (ASO, K.1.1) Conventus alicuius monasterii omnibus expensis, quae 10.000 marcarum transgrediuntur, assentiri debet. Scilicet iam summa pecuniaria, quae ad primam partem āctiarum molinae Danubiae emendam necessaria erat, hunc finem transgressa est. Num Conventus Swickersperchiensis in suffragiis mense Martio a. 1920 ferendis de summa pecuniaria omnino interrogaverit, ex epistula querimoniarum non apparet.

Archiabbas Norbertus in epistolā suā die 3 m. Maii a. 1928 datā emptionem molinae appellaverat quidem rem internam monasterii Swickersperchiensis (quā existimatione partim certe recte dixit), sed quia modus progrediendi videlicet contra Constitutiones erat, tamen quaestio etiam pertinebat ad Congregationem.

num ipsiusque Conventum vigere et in monasterio nullum cellerarium responsalem esse.⁹⁵

Haec omnia tam gravia erant, ut constitueretur, ut iam ante initium Capituli generalis primi gressus ad rem investigandam susciperentur. Magni momenti erat opprobria in ipso loco inspicere neque solum sententiis accusatorum sive illius, ad quem attinebat, confidere. Itaque inter dies 29^{um} m. Maii a. 1928^o et 31^{um} m. Maii a. 1928^o in Abbatia Swickersperchiensi visitatio instituebatur, quam Abbas Placidus Vogel et Abbas episcopus Bonifatius Sauer exhibuerunt.⁹⁶ Hunc in modum conspectus distinctus de condicionibus revera vigentibus acquiri potuit, ita ut in Capitulo generali de re decerneretur.⁹⁷

Ipsam Capitulum generale denique die 4^o m. Iun. a. 1928^o inchoatum est et consultationes die 13^o m. Iun. a. 1928^o finem habebant sessione antemeridiana.⁹⁸ Participes nominantur Archiabbas Norbertus Weber atque ipsius secretarius P. Maximilianus Freist, episcopus Thomas Spreiter Vicarius Apostolicus Africae Meridionalis Vicariatūs Eshowe cum secretario P.re Matthia Nett, Abbas episcopus Bonifatius Sauer Vicarius Apostolicus Coreani Vicariatūs Wonsan cum secretario P.re Martino Malter, Abbas Gallus Steiger

95 Vere mira hōc in conexū est sententiā haec: «*Si Pater Abbas hodie moreretur, tunc Conventus desperate Fratribus proditus est.*» (Sententia originaliter Theodisca). - Cfr epistula Norberti Weber die 3 m. Maii a. 1928 ad Coelestinum Maier data (ASO, K.3.1 (Causa Maier)), quā haec verba ex epistolā querimoniarum deprompta attulit.

96 Cfr protocollum ad causam Coelestini Maier pertinens, 13.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). - Utile esse satis celeriter visitationem in monasterio Swickersperchiensi facere iam Placidus Vogel in epistolā suā die 30 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) proposuerat.

Ut haec visitatio institueretur, videtur etiam Abbas Primas suasisse, uti ex protocollo diei 13 m. Iun. a. 1928 commemorato apparet (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

97 Quod iudicia praecipitantia vitabantur, revera in emolumentum Abbatis Coelestini erat, quamquam idem postea questus est hanc visitationem fuisse praeproperam.

98 De Capituli generalis spatio in eius protocollo legitur: die 4 ad diem 13 m. Iun. a. 1928 (ASO, K.3.1). Thomas Spreiter in diario suo (ASO, A.1.8.1) adnotavit die 4^o m. Iun. a. 1928^o Capitulum generale inchoatum esse missā sollemni atque primā sessione tempore antemeridiano huius diei habitā. Ultimam sessionem tempore antemeridiano diei 13ⁱ m. Iun. a. 1928^o indicavit.

Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 160 ut initium diem 6^{um} m. Iun. a. 1928^o indicat et ut finem diem 14^{um} m. Iun. a. 1928^o. Ultimum diem fuisse 14^{um} m. Iun. versimiliter eā de causā dicit, quia illo die ad Capitulum generale claudendum missa celebrabatur.

Africae Orientalis Abbatiae Nullius Lindiensis⁹⁹ cum secretario P.re Adalricho Mühlebach, Abbas Placidus Vogel Suarzacensis cum secretario P.re Christophoro Miller, Abbas Coelestinus Maier Swickersperchiensis cum secretario P.re Rocho Schroth, praeterea P. Hugo Reinhardt Congregationis procurator generalis.¹⁰⁰

Iam in primā sessione pleraque postulata in scripto P.ris Iosephi Damm prolata tractabantur, tamen solum ea, quae non directe ad Abbatem Coelestinum spectabant.¹⁰¹ Omnia haec rogata variis ex causis repudiata sunt.¹⁰² Cum ad omnia postulata P.ris Iosephi Damm explenda Constitutiones fuissent mutandae, illo temporis momento revera iam per se transacta erant, quia Constitutiones temporis spatio probationis, quod adhuc vigeat, mutari non potuerunt.¹⁰³

Proximis diebus atque sessionibus participes Capituli generalis magnā ex parte in quaestiones singulares incubuerunt, quae ad praecepta pecuniaria, ad res missionarias, ad disciplinam, ad studia clericorum, ad generaliter mo-

99 Gallus Steiger iam ut Abbas participavit, cum die 15^o m. Febr. a. 1928^o decreto Congregationis de Propaganda Fide Abbas Abbatiae Nullius Lindiensis redditus erat, sed demum die 17^o m. Iun. a. 1928^o in Archiabbatiā Ottiliensi benedictionem abbatialem accepit. - De conexū *cf.* cap. 4.10.1.1.2.

100 *Cfr.* protcollum Cap. gen. 1928, pp. 1 sq. (ASO, K.3.1). *Cfr.* etiam Chron. Ottil., m. Maio ad m. Iul. a. 1928. - Godfrey SIEBER (1992), p. 160 nominatim solum Praelatos atque procuratorem generalem indicat.

101 *Cfr.* protcollum Cap. gen. 1928, pp. 2 sq. (ASO, K.3.1).

102 Propositum, quo Capitulum generale amplificaretur sive deputati admitterentur, refutatum est, quia iam in praeterito Capitulo generali anni 1921ⁱ effectū negativo tractatum erat. Postulatum, quo Congregatio de Propaganda Fide regulariter visitationes exhiberet, reiciebatur, cum non ad eandem pertineret. Etiam impetūs, quō res pecuniariae atque distributio cooperatorum centraliter transigendae essent, recusati sunt, similiter rogatum, quo Abbates solum ad tempus quoddam eligerentur. Tantummodo propositum, quo is demum Abbas eligeretur, qui saltem quinque annos in missione operatus erat, agnoscebatur ut generaliter opportunum, tamen repudiabatur, quia in praxi peragi non posset. Rogatum P.ris Iosephi, ut in maioribus urbibus extra Bavariam sitis atque in civitatibus extraneis quōque stationes procurarum erigerentur, et postulatum, quo numquam iterum Patres pro inceptis prorsus materialibus adhiberentur, demum die 9^o m. Iun. a. 1928^o in sessione nonā tractabantur (*cf.* protcollum Cap. gen. 1928, pp. 20 sq. (ASO, K.3.1)).

103 *Vide* etiam explicationes generales in protcollo Cap. gen. 1928, p. 2 (ASO, K.3.1)

nastica et sic porro spectabant.¹⁰⁴ Sed etiam de foundationibus exteris disputabatur, quo in themate unā ex parte Archiabbas Norbertus de talibus foundationibus earumque scopis rettulit,¹⁰⁵ alterā ex parte speciatim de foundatione in Agrentiniā factā atque interea sublatā et de domo in Americano loco Newton conditā sermo erat.¹⁰⁶

Inter sessionem postmeridianam die 12^o m. Iun. a. 1928^o habitam relatione Archiabbatis factā deinde etiam condiciones Tragoessianae disputabantur.¹⁰⁷

Quomodo haec disputatio evenerit, proh dolor manifestum non fit.¹⁰⁸ Conscientiam tamen condicionum difficillimarum exstitisse apparet ex variis

104 Godfrey SIEBER (1992), p. 161 asseverat disputationes Capituli generalis a. 1928ⁱ propter temporis genium mutatum, qui in monasterium quōque introductus erat, imprimis disciplinam monasticam tractavisse.

105 Cfr protcollum Cap. gen. 1928, 6.6.1928, sessio sexta, p. 10; 11.6.1928, sessio decima, pp. 24 sq. (ASO, K.3.1).

106 Cfr protcollum Cap. gen. 1928, 6.6.1928, sessio sexta, p. 10; 11.6.1928, sessio decima, p. 24; 12.6.1928, sessio undecima, p. 26 (ASO, K.3.1). - De foundationibus in Argentiā atque in loco Newton in Americā Septentrionali sito earumque condicionibus cfr cap. 4.10.2.1.2; cap. 4.10.2.2.

107 Hōc in conexū scitū digna est epistula vere proluxa, quam Notkerus Mannhart die 21 m. Maii a. 1928 ad Ludgerum Breindl direxerat (ASO, A.4.2). Hōc scriptō sex paginarum machinā scriptoriā exaratō P. Notkerus conatus est P.rem Ludgerum Breindl illuc adducere, ut responsalitem suam tragoediae Tragoessianae ante Capitulum generale confiteretur atque hunc in modum agnosceret. P. Notkerus varias possibilitates vidit, quibus hōc fieri posset. Solutionem maxime honestam esse - uti P. Notkerus ad P.rem Ludgerum scripsit -, si demonstraret *«te rem suscepisse, cui oeconomice atque iuridice nullo modo par fuisti, te etiam modo, quo rem transegisti, fuisse dubium, cum (praeter alia) ex. gr. tales cognitiones invenire vel eas sequi vel de eis rationem reddere vitavisses, quae scopum tuum (id est emptionem praedii Leuzendorfiani) prorsus destruxissent.»* [Verba sublineata sic in textū originali.] (Textus originaliter Theodiscus). Secundam possibilitatem esse in tacendo, id est rem tacite relinquere neque - uti P. Ludgerus fecit - iterum iterumque queri, ut demonstraret, se nulla menda commisisset. Tertiam possibilitatem esse, si P. Ludgerus iniuste se persecutum esse sentiret, ut ante Capitulum generale actionem institueret, ut capitulares officialiter rem diiudicare possent. - Scilicet nihil ex his omnibus rebus factum est, id quod revera etiam non erat expectandum.

108 In protocollo Cap. gen. 1928, 12.6.1928, sessio duodecima, p. 27 (ASO, K.3.1) solum breviter leguntur haec: *«Rms Pater Archiabbas refert de progressū atque condicione praesenti rei Tragoessianae, quam relationem disputatio sequitur.»* (Textus originaliter Theodiscus).

enuntiatis, quae extra Capitulum generale prolata sunt.¹⁰⁹

Ea, quae ex consultationibus disputationibusque evenerant, sex decretis atque duobus monitis comprehendebantur atque intra Congregationem divulgabantur,¹¹⁰ quibus agebatur de Capituli generalis sententiis maioris momenti.

Inter Capitulum generale tamen «causa Coelestini Maier» sic dicta non in oblivionem vēnit. Die 9^o m. Iun. a. 1928^o quattuor Praelati sessione secreta convēnerunt, ut illam rem consulerent.¹¹¹ Cum visitatio in Abbatīā Swickersperchiensi - uti iam commemoratum est - iam exhibita esset, inde apparuerat nonnullas querimonias contra Abbatem Coelestinum iure prolatas esse. Illā in sessione secretā itaque spes non erat magna de rei exitū prospero.¹¹² Tamen conamen factum est, quo problema modo omnibus partibus acceptabili solveretur. Itaque primo episcopus Thomas Spreiter reliquis Praelatibus rogantibus die 12^o m. Iun. a. 1928^o cum Abbate Coelestino colloquium

109 Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 168 scribit tempore Capituli generalis anni 1928ⁱ nondum manifestum fuisse, quo in periculo tota Congregatio propter rem Tragoessianam versaretur. Haec existimatio tamen aliquatenus retractanda est, cum ex. gr. adnotationes episcopi Thomae Spreiter in diario suo leguntur. Cfr praeter alia sententia die 4 m. Febr. a. 1928 scripta («*tragoedia Tragoessiana, quae prodigiis malis gravida monasterio Ottiliensi imminet*»); etiam 8.2.1928; 14.2.1928, 17.2.1928 (ASO, A.1.81.). Ibīdem et postea quōque de colloquiis cum Abbate episcopo Bonifatio Sauer refertur, qui propter rem Tragoessianam valde sollicitus erat. Etiam in variis commerciis epistularibus tales perceptiones condicionum apparent.

110 Cfr Decreta et Monita sexti Capituli generalis Congregationis Ottiliensis, 14.6.1928 (ASO, K.3.1). - Subscriptum est hoc documentum ab omnibus Praelatis participantibus. In decretis praeter alia proferebatur multa ex propositis allatis deprompta consultationibus subiecta esse, quibus mutatio Constitutionem necessaria esset. Tales autem consultationes pro proximo Capitulo generali iam praeparatorias fuisse, quia propter temporis spatium probationis adhuc valens Constitutiones nondum mutari potuissent. Hōc indicio officiali verisimiliter etiam propter minas P.ris Iosephi Damm in scripto suo exhibitas opus erat (Decl. 1). Praeterea constituebatur, ut omnibus contributionibus ad aerarium Congregationis attribuendis propter communes condiciones pecuniarias ad tempus quoddam renuntiaretur (Decl. 3). Porro ad tempus quoddam renuntiandum erat, ut missiones pro cooperantibus ibi laborantibus pecuniam in Constitutionibus definitam solverent (Decl. 4). Denique agebatur de exercitatione generalis modi se gerendi (Mon. 1) et de conferentiis ad casūs liturgicos sic dictos spectantes, qui tamen sensū vere lato intellegendi erant (Mon. 2).

111 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 9.6.1928 (ASO, A.1.8.1). - Abbas Gallus in hōc colloquio non adfuit.

112 Thomas Spreiter illo die in diario suo adnotavit: «*Sermo est de resignatione.*» (Sententia originaliter Theodisca).

habuit, ut ei omnes aspectūs exhiberet, qui secundum eorum sententiam praesertim mutatione indigerent.¹¹³ Die 13^o m. Iun. deinde alia sessio secreta instituebatur, quam Archiabbas Norbertus Weber, episcopus Thomas Spreiter, Abbas episcopus Bonifatius Sauer, Abbas Gallus Steiger atque Abbas Placidus Vogel participaverunt. Ad hanc sessionem postea Abbas Coelestinus accitus est.¹¹⁴ Abbati Coelestino undecim puncta in protocollo quodam collecta proponebantur, quae ei comprobanda erant atque de quibus exsequendis ei praestandum erat.¹¹⁵ Primo visitationem in Abbatia Swickersperchiensi habitam agnoscere debuit fuisse canonicam atque decreta Praelatorum esse «*in auctoritate posita, obligatoria atque valida*». Deinde agebatur de muneribus cellerarii, magistri culinae atque Prioris, quae omnimodo essent explenda et quae in futurum tantummodo Archiabbate atque Abbate Placido assentientibus alicui tradenda essent. Alio puncto providebatur in futurum Conventum de condicionibus pecunariis monasterii melius instruendum esse et eidem maiorem potestatem in rebus saecularibus monasterii administrandis attribuendam esse.¹¹⁶ Praeterea alumni a praefecto idoneo ducendi observandique erant atque clericis tantummodo in studia sua incumbendum erat neque iidem ad alios labores acciendi erant. Porro agebatur de officio residendi non respecto atque de itineribus crebris.¹¹⁷ Aliis duobus punctis agebatur de postulato, ne Patres nimis multis laboribus auxiliariis externis onerarentur et ut in processu iuridico, qui cum molina Danubia cohaerebat, conamen reconciliationis fieret. Denique Abbas Coelestinus admonitus est, ut neque Conventui suo neque singulis personis propter indicia sua irasceretur. Insuper annuntiatum est Archiabbatem atque Abbatem Placidum Vogel interdum ad Abbatiam Swickersperchiensem venturos esse, ut statum rerum probarent. Abbas autem Coelestinus omnibus rebus assensus

113 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 12.6.1928 (ASO, A.1.8.1). Hōc colloquium etiam commemoratur in protocollo ad causam Coelestini Maier pertinens, 13.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

114 cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 13.6.1928 (ASO, A.1.8.1); protocollum ad causam Coelestini Maier pertinens, 13.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

115 Cfr protocollum ad causam Coelestini Maier pertinens, 13.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). Hōc protocollum fuse affert etiam Hartmut MADL (1999), pp. 237 sqq.

116 Huic puncto non deest ironia quaedam, cum de condicionibus cogitemus, quae illo tempore in ipsa Archiabbatia valebant.

117 Hanc querimoniam esse iustam Abbas Coelestinus negavit, sed se propter molinam Danubiam saepius afuisse confessus est. Repugnavit etiam opprobrium se res materiales nimis ante oculos habuisse.

est atque protocollum subscripsit.

Sub hōc fundamento Praelati Ottiliani die 17^o m. Iun. a. 1928^o Monitum quoddam paternum exaraverunt, quo ea, quae Abbas Coelestinus in monasterio Swickersperchiensi exaedificando effecerat, grati agnoverunt, sed quō tamen significaverunt eum non eodem modo incrementum internum promovisse. Itaque monitus est, ut illa puncta in protocollo exhibita observaret. Nihilominus confidentia prolata est eum hōc facturum esse.¹¹⁸ Hunc in modum hōc thema illo tempore transactum erat atque resignatio Abbatis Coelestini non iam instabat.¹¹⁹

Tamen accusator quōque principalis P. Iosephus Damm non sine monitione

118 *Cfr* Monitum paternum, 17.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)). Etiam hoc documentum affert Hartmut MADL (1999), pp. 239 sq.

119 Abbas Coelestinus accusationibus, visitatione atque effectū consultationum, quas reliqui Praelati inter Capitulum generale hac in re habuerant, valde tactus erat. Hōc etiam apparet ex nonnullis adnotationibus in ipsius commercio epistulari exhibitis, quas immediate post protulit.

Quod attinet ad aestimationem, quam Abbas Coelestinus a nonnullis confratribus suis Congregationis percepit, praeter alia eventum quoddam scitū dignum est. Nam die 15 m. Maii a. 1929 Coelestinus Maier ad Thomam Spreiter scripsit (ASO, Z.3.01.19) se a P.re Andrea Eckardt, qui illo tempore Monaci versabatur, nuntium accepisse ei ex Archiabbatia Ottiliensi papale scriptum Breve missum esse, quo P. Andreas abbatialis coadiutor Swickersperchiensis institueretur. Hac epistolā Abbas Coelestinus satis perturbatus erat et hanc designationem esse effectum visitationis praeteritae putavit. Tamen recte adnotavit, ut de munere deponeretur, antequam ipse auditus esset, revera non fuisse necessarium. Episcopus Thomas Spreiter hanc epistolam in diario suo commemoravit (17.6.1929 (ASO, A.1.8.1)), subiunxit tamen se hanc rem non intellegere et suspicatus est agi fortasse de ioco Aprili, qui non bene evēnit. Die 18 m. Iun. a. 1929 propter hanc quaestionem ad Norbertum Weber se convertit (ASO, Z.3.01.5) nuntium tamen serio accipiens et prolixo de P.re Andrea Eckardt et de malis effectibus pro Congregatione agens, si illa designatio esset vera. Interrogans Thomas Spreiter etiam ad Abbatem episcopum Bonifatium Sauer et ad Abbatem Placidum Vogel scripserat. Die 11^o m. Iul. a. 1929^o Abbas Placidus telegraphice explicationem misit revera fuisse iocum Aprilem (*cfr* Thomas Spreiter: Tagebuch, 11.7.1929 (ASO, A.1.8.1)), similiter die 24^o m. Iul. a. 1929^o Archiabbas in epistolā ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.01.5). Excitatio propter hunc iocum videtur satis magna fuisse, qui et contra Abbatem Coelestinum et contra P.rem Andream directus erat. Unus rem credidit propter experientias suas accusationum anni 1928ⁱ, alter rem credidit, quia libenter credere voluit et sic - ut videtur - affirmabatur, quomodo ipse se perciperet. (In epistolā suā diei 18 m. Iun. a. 1929 Thomas Spreiter scripsit eum «*genere quodam megalomaniae laborare*».)

evasit.¹²⁰ Ille enim decreto Capituli generalis gravissime vituperabatur, non propter animadversiones suas, cum menda fortasse existentia essent indicanda, sed quia P. Iosephus iuxta res veras multa nimis generaliter atque modo exaggerato protulisset neque fontes suos comprobavisset.¹²¹ Praesertim autem ei opprobrio dabatur forma accusationis, cum nonnulla verba enuntiataque accipi non possent. Revera animadvertendum est, cum scriptum P. ris Iosephi legamus, eum verbis suis ibīdem graviter contra mores bonos loquendi scribendique peccavisse.¹²² Tamquam sequela capitulares ei minati sunt eum ex regione missionariā retractumi iri, nisi se excusaret.¹²³

Eventūs, qui ad gerendi modum Abbatis Coelestini Maier atque sequelas inde exortas spectabant, paulo fusius explicabantur, cum aestimatio eius personae eiusque facultatum decursū rei Tragoessianae atque problematum Archiabbatiae facta esset maioris momenti.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 2019, 2020, pp. 63-93]

120 Cfr Decretum Capituli generalis, 12.6.1928; Decretum secretum Capituli generalis, 12.6.1928 (ASO, K.3.1 (Causa Maier)).

121 «eum videlicet ex fonte maligno hausisse» in documentis legitur.

122 Placidus Vogel in epistolā suā die 27 m. Apr. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, K.3.1 (Causa Maier)) scripsit de «*P. re Iosepho acriter agente*». Eodem modo iam Norbert WEBER: Reisetagebuch Afrika 1911/12, 23.2.1912 (ASO, A.1.8.1) de P. re Iosepho iudicavit, cum ageretur de fundatione stationum Kiberege et Ifakara.

123 P. Iosephus Damm deinde talem excusationem misit. - De hac re cfr etiam Hartmut MADL (1999), pp. 241.